Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift



erga proximos loquentes refundant. Speculando quippe
in dei amore resurgitur. sed predicando ad proximi utilitatem reditur.
Unde apud moysen dum in sacrificio uacca mactatur. offerri cum
ysopo lignoque cedrino bis tinctus coccus precipitur. Vaccam quippe
mactamus. cum carnem a lasciuia sue uoluptatis extinguimus.
Quam cum ysopo lignoque cedrino ac cocco offerimus. quia cum
maceratione carnis sacrificium fidei spei et caritatis adolemus.
Ysopus quippe interna nostra mundare consueuit. Et PETRUM dicit.
Fide mundans corda eorum. Lignum cedrinum nulla putredi
ne deficit. quia spem celestium terminus non consumit. Unde
et per petrum dicitur. Regenerauit nos in spem uiuam. per resurrec
tionem ihesu xpi ex mortuis. in hereditatem incorruptibilem et
incontaminatam et inmarcessibilem. Coccus rubeo colore flam
mescit. quia quem implet caritas incendit. Unde et ueritas in
euangelio dicit. Ignem ueni mittere in terram. Sed bis tinctus coccus
offerri precipitur. ut uidelicet ante interni iudicis oculos caritas nostra
dei et proximi dilectione coleretur. quatinus conuersa mens nec sic
[illegible] pro amore dei quietem diligat. ut curam proximi utilitatemque
post ponat. nec sic pro amore proximi occupata inser
uiat. ut quietem funditus deserens ignem in se superni amoris ex
tinguat. Quisquis ergo semetipsum deo iam sacrificium optulit. si
perfecta desiderat curet necesse est. ut non solum ad operationis se
latitudinem. uerum etiam ad culmina contemplationis extendat.
Sed inter hec magnopere sciendum est. quia ualde inter se diuerse sunt
conspersiones animorum. Non nulli hominum namque ita ociose
mentis sunt ut si eos labor occupationis excipiat in ipsa operis
occupatione succumbant. et non nulli ita inquieti sunt. ut si uaca
tionem laboris habuerint grauius laborent. quia tanto deteriores